

CAP. II.

DE

PURGATORIO.

§. I.

UT multa sunt in Papatu impietatis argumenta, ita aliud alio gravius est, & manifestius ostendit. Mysterium illud iniquitatis, de quo disputamus, quod est Anti Christi. Gravissimum illud fuit, quod supra attigimus, de invocandis Sanctis: Sed nescio an valeat magis ad faciendam fidem huic nostræ de hoc Mysterio sententiæ illa, quæ jam jam explicabitur, de Purgatorio doctrina. Major certe est in hoc capite, cum sententiarum varietas, tum ipsius confusio doctrinæ: Longius quoque sunt petita argumenta & aliena magis, imo vero nulla, quibus in hac re utuntur Dissidentibus. Sed quo infirmiora sunt, & minus valent ad faciendam fidem argumenta, eo pertinacior est fides eorum & confidentia, ut propemodum nulla re alia manifestius ostendi possit Mysterium Anti-Christi, atque hac de Purgatorio doctrina. Age igitur, videamus pro instituti nostri ratione, etiam in hoc capite, primum ipsius impietatem doctrinæ, deinde veri speciem atque mysterii simulationem, & denique quæ ad hujus confutationem afferri pro re nata possunt.

§. II. Quod ad impietatem hujus de Purgatorio doctrinæ, illam fontes in primis ostendunt & rivuli, a quibus hausta est. Ex Poëtarum namque & Philosophorum, Homeri, Platonis, Virgiliti, & aliorum fabulis, ex Maccabæorum libris apocryphis, ex Origenicis alle-